DE CHOREA ST. VITI.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

QVAM

CONSENSV ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA REGIA LITTERARVM VNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA

AD SVMMOS

IN MEDICINA, CHIRVRGIA, ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET VNA CVM THESIBVS ADIECTIS

DIE XX. MENSIS SEPTEMB. A. MDCCCLXIII

PVBLICE DEFENDET

ALEXANDER BVRGER
RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
FR. OBERNIER, MED. ET CHIR. DR.
CH. DIEL, MED. ET CHIRVRG. DR.
F. SIMROCK, MED. ET CHIRVRG. DR.

BONNAE
TYPIS FRIDERICI KRVEGERI.

VIRO ILLVSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SVMME VENERANDO

M. E. A. NAVMANN

REG. A CONSIL. MEDIC. ITIM., EQVITI ORD. AQ. RVBR. IV. CL., MED. ET CHIR. DOCTORI, MEDIC. PROFESS. PVBL. ORD., INSTITVTI MEDICI CLINICI ET POLICLINICI IN VNIVERSIT. FRID. GVIL. RHEN. DIRECTORI, COMPL. SOCIET. SODAL. ETC. ETC.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41544719_0098

VIRO DOCTISSIMO, SPECTATISSIMO

C. CAMPBELL FINLAY

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

D. D. D.

AVCTOR.

Anno milesimo trecentesimo septuagesimo quarto multos homines insolitus quidam furor saltandi incessit, qui nomine choreae St. Viti sive Ioannis multisque aliis dicendi rationibus appellabatur. Quae nova atque insolita res ita sese manifestabat; ut homines utriusque generis tamquam insanientes saltarent; dum viribus exhaustis concidérent. Anno milesimo quadringentesimo duodevicesimo malum illud iterum erupuit Strassburgio proficiscens. Hunc praecipitem saltandi furorem illis temporibus originem duxisse ex superstitiosis ritibus atque cerimoniis, quae tum in Dei cultu exercebantur, inter omnes constat. Etenim iam primis Christianismi aevis St. Ioannes et Vitus saltando colebantur [1]) Illo autem saeculo pestilentia illa, cui nomen „mors atra“ datum est et quae medio saeculo quarto decimo quartam fere partem eorum; qui tum Europam incolebant consumpserat [2]) — dira eius memoria nondum e populi traditionibus exstincta est — deinde tumultus illi interni atque rixae, tum vastae illae agrorum devastationes, quas Rheni Moenique fluminum eluviones effecerant, omnes hae res germanici populi animos praesertim eorum hominum, qui ad Rhenum habitabant, perpetuo metu atque angore movebant. [3]) Quibus rebus factum est, ut homines perterriti ad Deum et religionem animos converterent, auxilium et solatium ab iis petentes; qua in re non aquiescebant, sed ut fieri solet, homines fanatici et superstitiosi a religiosis

1) St. Augusti Denkwürdigkeiten aus der christl. Archäologie. Leipzig 1820. Bd. 3. pag. 106.

2) Hecker Schwarzer Tod. Berlin 1832. pag 40 etc.

3) Dr. J. F. C. Hecker. Die Tanzwuth, eine Volkskrankheit im Mittelalter. Berlin 1832. pag 12—14.

cerimoniis ed res antea nunquam auditas atque paene insanas compellebantur. Itaque ex pio moderatoque saltandi usu in St. Viti honorem indomitus atque insatiabilis ille saltandi furor emanavit, qui chorea St. Viti nominabatur. Malum illud 'daemoniacum', ut ab illius aevi autoribus nominatum est, [1]) quasi pestilentio magna cum celeritate diffundebatur pluresque in diem homines cepit. Cum eis, qui religiosis piisque ex caussis locis sacris, circa templa sacra, per urbes pagosque furientes quasi saltabant, fraudatores sese coniungebant, qui religiositatem simulantes solum pecuniae acquirendae causa, quae saepe fanaticis illis hominibus dabatur"; praeterea mulieres hystericae saltantes sequebantur, quas tali spectaculo magnopere delectatas esse facile intelliges. Ad hoc accedebat, ut viri et mulieres libidinosis cupiditadibus capti hanc impune exercendae Veneris occasionem non intermittendam esse putarent atque hac de caussa saltantibus frequentes sese miscerent. [2]) Itaque aegrotatio [3]) illa, quae religiosam potius insaniam, quam corporis morbum appelles, magnum incrementum nacta est. Medici, qui malum extra humanam naturam putabant, ab omnibus remediis desistebant, [4]) sanationem atque curam eius sacerdotibus relinquentes. A Rheno Mosellaque fluviis saltandi studium et cupido per Germaniae provincias progressum est, neque tamen in Gallia et Brittania prorsus ignotum erat, quamvis in his terris minus frequens exsisteret. Legimus in magno Belgicarum Chronico, [5]) choream St. Viti per duos tresve annos tantum permansisse; neque

---

1) Ioann. Pistorii Rerum familiarumque Belgicarum Chronicon magnum. Francof. 1654. pag. 319.

2) Die Limburger Chronik herausgegeben von C. D. Vogel. Marburg 1828. 8. pag. 71.

3) Die Chronica van d. hilliger Stat van Cöllen A. d. MCCCLXXIV. fol. 277. Cöllen 1497.

4) Hecker, die Tanzmuth. pag. 17.

5) Io. Pistorii l. c. pag. 319.

tamen spatio trium saeculorum interiecto omnino cessit. Ioannes enim Schenk a Grafenberg, qui anno milesimo quingentesimo nonagesimo octavo mortuus est, nobis tradidit, suo etiam tempore exempla choreae St. Viti, morbi antea multo frequentioris, exstitisse. Item Horst narrat, sese vidisse mulieres, quae quoque anno St. Viti die mente perturbata quasi bacchantes, per diem noctemque saltassent, donec viribus exhaustis in terram concidissent. Haec est choreae St. Viti nominis origo. Sed postea diversi systematis nervorum morbi, qui convulsiva musculorum actione sese manifestabant, eodem nomine dicebantur, inter alios morbus, quem nunc dicimus choream magnam, deinde tarantismus, convulsiones hystericae etc. etc.

Clarissimus ille vir Sydenham primus morbum choream Sancti Viti nominabat, cui nulla est affinitas, nulla communitas cum chorea St. Viti saeculi decimi quarti, de quo supra diximus. Descripsit autem Sydenham eum morbum in hunc modum. [1])

„Chorea Viti convulsionis est species, quae ut plurimum pueros puellasve a decimo aetatis anno ad pubertatem usque invadit, primo se prodit claudicatione quadam vel potius instabilitate alterutrius cruris, quod aeger post se trahit fatuorum more, postea in manu eiusdem lateris cernitur; quam hoc modo affectus, vel pectori vel alii alicui parti adplicatam, nullo pacto potest continere in eodem situ vel horae momento, sed in alium situm aliumque locum convulsione quadam distorquebitur, quidquid aeger contranitatur. Si vas aliquod potu repletum in manus porrigitur, antequam illud ad os possit adducere, mille gesticulationes, circulatorum instar exhibebit; cum enim poculum recta linea ori admoveri nequeat deducta a spasmo manu huc illuc aliquamdiu versat, donec tandem forte fortuna illud labris proprius, adponens, liquorem decrepente in os

1) Th. Sydenham. Op. univ. medic. Edit. Kütze Lips. 1827. p. 468.

iniicit atque avide haurit, tamquam misellis id tantum ageret, ut dedita opera spectantibus risum moveret.“

Quamquam Sydenham non morbum ab ipso descriptum solum nomine choreae St. Viti significat, tamen illo auctore in Brittania et in Francogallia hoc nomen, nonnullis exceptionibus, usu receptum est ad significandam choream a Sydenhamio descriptam; at in Germania hoc nomen usitatum erat ad significandos diversissimos systematis nervorum morbos, in quibus medici aliquod saltandi desiderium esse putabant. Sic cum alii tum Barthold[1]) Haller,[2]) Hoffmann,[3]) qui choream hoc modo describit: „in saltu St. Viti homines insano saltandi furore perciti choreas ducere semper appetunt et cum aliis tripudiare ad extremam virium defatigationem gestiunt.“ Spangenberg et Hufeland huic nomini eam vim subiecerunt, ut choream magnam significet. Omnino in Germania vox choreae St. Viti ita accepta est, ut significet eum morbum, quem nunc choream magnam vocamus.

Anno MDCCLXXXXIV Wichmann[4]) primus animos advertit, aliam esse choream St. Viti Germanorum sive choream magnam, ac choream Brittanorum sive choream Sydenhamii, sed tantum aberat, ut utrumque morbum subtiliter discerneret, ut utrumque morbum eiusdem generis esse putaret et Brittanicam choream St. Viti speciem aliquam sive minus graviorem modum Germanicae choreae St. Viti haberet. Etsi iam ex eo tempore multi clari Germanorum medici choream magnam et choream minorem sive choream St. Viti discernunt, tamen vox choreae St. Viti dubia remansit, et hoc nomine diversi casus traduntur, qui nullo modo huc referendi sunt; ita cum casus qui ad epilepsiam tum alii qui ad aliam morborum speciem pertinent. Sic

1) Ej. med. trip. Francof. a. M. 1717.
2) Ej. Onomatol. med.
3) E'. Op. omn. T. V. Gen. 1740.
4) Ej. Ideen zur Diagn. I. 3. Aufl. Hannov. 1827. pag. 367. 599.

ad notionem choreae referebatur, vel species eius habebatu chorea festinans, sive festinatio motuum involuntaria (Gru bius) sive chorea procursiva, deinde chorea stataria, circumrotatoria, saltatoria, quibus omnibus nihil est commune cum chorea Sydenhamii et qui in gravioribus cerebri affectionibus observati sunt, vel qui ad choream magnam sunt referendi, vel qui ad symptomata aegrotationis hysterica maniacalis — sit venia verbo — pertinent.

Ernestus Conradus Wicke a Blekede primus erat, qui demonstrabat, choream Sydenhamii alium esse morbum ac quem nos Germani choream vocaremus, quippe quibus morbis nulla esset communitas, nulla affinitas. Quare Germani illo viro debent, ex eo tempore has notiones non amplius confundi. In eo libro, quem inscripsit. „Versuch einer Monographie des grossen Veitstanzes, und der unwillkürlichen Muskelbewegungen etc.“ accuratissime discernit Germanorum choream a Sydenhamii chorea, alteram choream magnam, alteram involuntarium musculorum motum — unwillkürliche Muskelbewegung — dicens [1])

Alii auctores eodem nomine sc. choreae ad utrumque morbum significandum usi sunt, ita ut unam choream magnam, alteram choream minorem nominarent. Chorea autem minor idem malum est, quod Wicke 'unwillkürliche Muskelbewegung' appellavit.

De origine morbi dicere mihi liceat, tantum abesse, ut iis assentiar, qui censent choream minorem nostrae aetatis originem duxisse a veteriori illa chorea,[2]) ut potius repetam id, quod iam supra dixi, choream seculi decimi quarti et decimi quinti nullam communitatem cum chorea huius aetatis habere; fuit enim, ut opinor, insanus ille saltandi furor aegrotatio animi et exsecutio religiosae ceremoniae usque

1) cf. Wicke Versuch einer Monographie der grossen Veitstanzes und der unwillkürlichen Muskelbewegungen etc. Leipzig 1854.

2) cf. Hecker, Tanzwuth pag. 19 u. 20.

ad insaniam transducta; nostrae autem aetatis chorea, etsi commutatio pathologica in corporis humani texturis nondum in omnibus casibus certo demonstari potuit, tamen corporis non mentis malum esse inter omnes constat. Etiamsi interdum animi alienatio negari non potest, tamen haec non semper adest atque merito dici potest, hanc animi alienationem semper e chorea tamquam emanare. Accedit ad hoc, quod nunquam fere religiosus aliusve eiusmodi furor in chorea nostrae aetatis reperitur, qua sola ex causa diversitatem inter utrumque morbum pro certo sumas.

Equidem etiam censeo, eum morbum, quem choream minorem sive auctore Wicke involuntariam musculorum agitationem vocamus, iam diu ante illum saltandi furorem, qui saeculo decimo quarto subito erupuit, exstitisse, quamvis nulla eius mali descriptio ante illud tempus novi. Veterrima descriptio choreae St. Viti, quam Wicke reperire potuit a Benevenio († 1503) nobis tradita est, qui hoc fere modo dicit:

'Puerum vidimus et curavimus, qui cum nullo modo quiescere posset, sed ita semper hinc inde temerario quodam impetu et in ordinato motu ferretur, ut etiam itare volens iterum titurbaret et vaderet'.

Sexum femineum saepius chorea minori invadi, quam sexum masculinum satis inter omnes constat. Primis tantum vitae aetatis annis pueri frequentius aegrescunt, quam puellae. Quod quidem pueri primis vitae annis crebrius quam puellae chorea corripiuntur, analogiam habet in eo, quod pueri multo saepius puellis spasmo glottidis aegrotant. Ut autem id, quod modo dixi, accuratius explanem indicem addo a Conrado Wicke collectum et trecentos viginti septem casus complectens: [1])

1) Wicke l. c. pag. 302.

Aetas.	Sex. fem.	Sex. masc.	Aetas.	Sex. fem.	Sex. mas
4 annos nat.	4	1	12	21	12
5	3	5	13	18	6
6	4	13	14	19	11
7	16	7	15	14	4
8	10	5	16	5	6
9	22	12	17	10	6
10	28	15	18	6	1
11	26	13	18	4	
				210	117

Iam de chorea minori dici potest, eam nulli aetati parcere, quamquam homines primis vitae annis atque aetate provecta rarius incedit; supra vicesimum vitae annum morbus perraro reperitur.

In Germania chorea minor pueros puellasque a decimo usque ad tredecimum aetatis annum frequentissime aggreditur.

Secundum observationes in nosocomio Parisiensi, Francogallorum lingua „Hôpital des enfants“ dicto, in Francogallia chorea minor a decimo usque ad decimum quintum vitae aetatis annum frequentissime reperitur. Haec est collectio a Rufzio edita: [1])

ab anno aetat.	1	usque ad ann.	4	3	pueri	2	puellae	Sum.	5
„	4	—	6	2	„	3	„	„	5
„	6	—	10	16	„	45	„	„	61
„	10	—	15	30	„	88	„	„	118
				51		138			189

Quomodo res in Britannia sese habeat, ex hoc Hughesii indice, qui centum casus nostri morbi nobis tradidit, concludi potest.[2])

a.	—	usque ad	10	aetatis annum	33	casus	11	pueri	22 puellae
10	—	15	„	„	45	„	11	„	45 „
supra 15 annum					22	„	5	„	17 „
					100		27		73

Ut igitur ex indicibus intelligere licet, iam primis vitae humanae annis exempla chorea minoris exstant, quin etiam

1) Cf. Archiv général de médic. 1834. Tom. IV. pag. 215.

2) Digest of one hundert cases of chorea treated in the hospital. Guy's hospital reports 1846. II Series vol. IV pag. 372.

Mayo in Outlin of human path. pag. 170 exemplum choreae minoris congenitae afferre dicitur. Praeter Mayo, Friedland quoque de duobus casibus choreae minoris congenitae nobis tradidit. Et Baumbach narrat se puellam vidisse quinque annos natam, quae iam inde ex partu suo chorea St. Viti laborasse. Idem Prichard de puella septem annos nata memoriae prodidit.

Morbum etiam in hominibus aetate iam progressis inveniri cum multi alii tum Bouteille, Wichmann, Willis, Shute, Thompson, Hamilton sunt auctores. Clarissimus Romberg[1]) narrat de muliere, nunquam viro nupta, quae usque ad septuagesimum sextum annum vitam perduxerat, eam, cum sextum aetatis annum ageret, chorea minori correptam esse et per totam vitam incuratam relictam fuisse.

Quod attinet ad frequentiam morbi nostri ab anno MDCCCXXIV usque ad annum MDCCCXXXIII in nosocomio Parisiensi (Hôpital des enfants) 32976 liberi, qui primum aut quindecimum annum agebant, sunt recepti, ex quibus 189 chorea minore aegrotabant, ratio ergo erat 1:377.

In nosocomio Londinii ratio ita erat, ut ex 26949 aegrotis 332 chorea laborabant.

Quod ad corporis structuram, vix ulla humani corporis conditio immunitatem morbi praebet; immo potius homines cuiusque corporis humani structurae ea invadit, vel feminas puerpueras, gravidas, atque homines, qui iam aliis morbis laborant. At praecipue morbus homines debilitatos et valetudinis haud firmae aggredi solet.

Inter causas, quae morbum in hominibus ad eum propensis efficere possunt, prae ceteris terror principem locum tenet. Nonnulli auctores observaverunt, morbum in homi-

---

1) Romberg, Lehrbuch der Nervenkrankheiten des Menschen, II Aufl. 1 Bd. Berlin 1851 pag. 190.

nibus ad eum propensis etiam adspectu motionis convulsivae oriri. E. M. Naumann, professor clarissimus, benignissime mihi communicavit, in puella, quae chorea laborabat, quaeque magna irritabilitate systematis nervorum aegrotabat, nullam aliam morbi causam reperiri potuisse, ac perpetuum usum curamque sororis, puellae undecim annorum vehementissime hoc malo laborantis.

Observatum porro est, choream minorem sese cum aliis morbis accutis, ut cum catarrhali affectione membranarum mucosarum, inprimis cum rheumatismo musculorum et articulorum coniungere. See dicit, rheumatismum frequentissimam causam eruptionis choreae St. Viti esse. Idem auctor contendit, apud centum triginta tres casus choreae St. Viti in quadraginta et uno casu acutum articulorum rheumatismum, in triginta casibus quidem dolorem articulorum antegressa esse choream, in sex autem casibus rheumatismum et choream fuisse coniuncta. Difficillimum est, de hoc iudicare; Naumann, praeceptor meus illustrissimus, mihi narravit, sibi quoque casus esse notas, in quibus dolor musculorum antegressus sit choreae eruptionem; nosse se porro casus, in quibus post typhum, post dysenteriam, post magnas corporis defatigationes, in aliis casibus post rheumatismum chorea exstitisset. Omnibus his casibus hoc commune fuisse, quod musculorum nutritio diutius impedita fuisset et eodem tempore irritabilitas systematis nervorum multo aucta esset. Alii auctores Babington, Taylor, Carère, Andral esse pathologicam affinitatem inter rheumatismum et choream St. Viti comprobant.

Antequam de sede morbi nostri et de commutationibus in texturis morbo affectis ducam, nonnullas sectionum relationes afferre mihi liceat.

Olivier et Hawkins in obductionibus cadaverum eorum qui chorea St. Viti laboraverant, neque in cavo cranii neque in canali spinali ullum vitium reperierunt neque quidquam animadverterunt, quod causa choreae haberi posset.

Cline casum commemorat, in quo, ut ita dicam ossificationem piae matris cerebri reperit.

Curie vasa sanguinea cerebri eiusque tegumentorum valda sanguine plena atque tumida vidit.

Brodie in cadavere puellae tumorem magnitudine avellanae cum glandula pineali cohaerentem reperit.

Fantonetti se in quinque casibus apoplexiam capillarem tamquam causam choreae St. Viti reperisse dicit.

In omnibus his casibus choream minorem in vita re vera exstitisse valde dubium est, praesertim apud Fantonettium, quippe qui se solum obductiones quinque cadaverum, eorum, qui chorea aegrotaverant, fecisse dicit, quamvis tales sectiones esse perraras, nemo ignoret. Mirum deinde est a Fantonettio in omnibus casibus apoplexiam capillarem esse repertam, quamquam spectatissimi auctores, quod equidem scio, excepto Prichardo in uno casu, nunquam hanc apoplexiam capillarem in cadaveribus eorum, qui chorea affecti erant, reperiebant.

Guersent in uno casu ab ipso relato tertiam partem inferiorem partis dorsalis medullae spinalis emollitam reperiebat.

Addisson commutationes reperit in tegumentis encephali et medullae spinalis neque tamen in ipsa substantia encephali et medullae spinalis.

Horn in puella decem annos nata, duram matrem mirum in modum cohaerentem reperiebat cum cranii ossibus inter eam autem et arachnoideam erat aliquid seri, idem in utroque ventriculo laterali. Encephali substantia neque nimio sanguine impleta fuit, neque visibilem commutationem ostendebat. Dura mater medullae spinalis praesertim in superiore parte partim cum archnoidea cohaesit. In ipsa medulla spinali Horn nonnullos bulbosos tumores totum medullae orbem occupantes reperit, quibus in interiore substantia totidem excavationes accuratissime respondebant. Fila caudae equinae valde rubrefacta fuerunt. Praeterea nulla morbida mutatio commemoratu digna in cadavere reperta est.

Prichard in obductione cadaveris puellae septema norum, quae a prima vitae aetate chorea laboraverat, hoc reperit: magna copia seri erat in vagina medullae spinalis et vasa in superficie medullae spinalis valde sanguine erant impleta, substantia encephali multo-firmior, quam esse solet. Sub arachnoidea hemispherarum et in ventriculis parva copia liquoris at magna copia erat sub arachnoidea basis encephali et ubi medulla spinalis initium capit.

Idem narrat de obductione cadaveris puellae unde viginti annos natae, cerebrum multo copiosius vasis fuisse, quam esse soleat, eiusque superficiem liquore fuisse coopertam. Plexus choroideus sanguine erat turgidus. Aliquantulum plus seri, quam vulgo exstat, sub membrana et in basi cerebri erat. In ventriculis paulum nihilve liquoris, maior copia in regione foraminis magni et ubi canalis vertebralis incipit. Idem vidit effluxum unae duarumve unciarum seri e canali, cum caput mortui ad solum declinaret.

Idem de sectione cadaveris puellae quatuordecim annos natae refert, canali vertebrali aperto unam fere unciam seri ex eo effluxisse, vasa sanguinea insolite extensa fuisse, prope medium dorsum in dura matre stratum lymphae coactae adfuisse; cerebrum et cerebellum valde fuisse rubrefactum et cum in substantiam insecuisset innumerabilia puncta sanguinea apparuisse; aliquod liquoris sub aracbnoidea et in ventriculis exstitisse.

Roeser duram matrem cerebri maxime impletam turgidis vasis reperit. Inter piam matrem et arachnoideam aliquod turbidi liquoris erat, in ventriculis aliquantulum plus solito seri, plexus chorideus ex rubro pallens. Ex canali spinali aliquod serum profluit, medulla oblongata valido vasorum reti erat cooperta, substantia cerebri mollior, ceterae encephali partes integrae. Pericardium valde extensum atrum, maxima ex parte in dextro pectoris latere iacens, undique cum pulmone coalitum, continens quatuor sive quinque uncias seri sanguine mixti. Substantia pericardii et superficies interna in toto latere dextro atra; superficies

interna pericardii cooperta strato atro unam lineam crasso, et quasi concreto sanguine composito. Hic . . . . . Aequale stratum, sed minus in sinistro latere pericardii, quod in circumferentia sua plus triplo crassatum videbatur. Reliqua superficies interna villis lymphae, quam auctor „coagulabel“ dicit, $^1/_2$“ longis vel longioribus vestita erat, unum parietas posterior cordi firme adhaerens et sine laesione inseparabilis. Totum cor tectum strato, ut ita dicam, fibroso, subrubro.....

Pars venosa et arteriosa cordis adspectu externo non potuit distingui . . . . . Substantia cordis rubro pallens. In utroque lobo pulmonali erat materia carnosa, 1“ lata et, ut videbatur iam antea exsudata etc. etc. Dubitari non potest, hoc casu inflammationem pericardii adfuisse, quae in tegumentum cordis et in pleuram transgressa sit. Docet autem hic casus, choream minorem iunctam fuisse cum rheumatica affectione, ut See in plerisque choreae casibus ita sese habere censet.

Etiam Willan in duobus casibus, qui ad choream minorem pertinentes commemorantur, in cavis encephali et in pericardio binas vel quaternas uncias clarae lymphae reperiebat. Hic quoque in casibus choream minorem cum rheumatismo acuto et pericarditide iunctam fuisse verisimillimum est. —

Copland in cadavere pueri effluxum seri turbulenti ex canali vertebrali aperto reperiebat. Arcus vertebrarum cum dura matri concretionibus lymphaticis coniuncta erat. Haec concretiones in interiore superficie durae matris etiam copiosiores erant. . . . . .

Membrana serosa medullae spinalis inusitato numero vasorum sanguiniferorum erat cooperta. Serum in vagina medullae spinalis plus unciis duobus erat et una cum lympha concreta medullam spinalem, ut videbatur, compresserat. Substantia medullae spinalis non morbida reperta est. In cavo peritonaei circa quinque unciae seri. Stomachus, canalis intestinalis, organa uropoetica integra. Glandulae mesentericae, paulum tumidae. Hepar sanguine nigro im-

pletum. Auricula dextra cordis impleta sanguine concreto, nigro. . . . . In ventriculo dextro aliquid sanguinis eiusdem naturae, ac in auricula dextra. Substantia cordis dextri mollior, tenuior, albior, quam auctor unquam viderat. Sinistrum cordis dimidium lypertrophicum, tegumentum cordis serosum magna copia lymphae concretae coopertum. Auricula sinistra magnopere amplificata et crassata . . . . In hoc casu choream rheumatismus acutus cum febri, affectione cordis et cum eo, quod anasarca dicimus, antecesserat; quae omnia celeritur sanata erant. Octo mensibus post chorea recidivum fecerat, in quo puer mortuus erat. Hic quoque casus aliquem connexum pathologicum rheumatismi cum chorea probat. Graviores sectionum relationes Hughes profert.

Homo quinquaginta annos natus chorea St. Viti laborans mortuus erat. Aperto cavo cranii parva copia sanguinis in arachnoidea reperta est, de quo dubium erat, num sit exorta violenti remotione superioris partis cranii. Margo fornicis in latere dextro valde erat emollitus. Superficies ventriculi tertii erat tumefacta, rubra, mollis. Liquor in canali spinali erat turbulentus, coloris flavi, magnam copiam albuminis continens. Consistentia medullae spinalis solito mollior apparebat.

Aliam sectionis relationem Bright celeberrimus ille vir profert.

In virgine septendecim annorum chorea alterum recidivum fecerat et summos fecerat progressus; febris typhoides eam e vita sustulerat.

In cadaveris obductione vasa sanguinifera cerebri magna sanguinis copia erant impleta. Praeter hoc quinque vel sex lamellae ossea in pia matre dimidii inferioris medullae spinalis repertae sunt. Medulla spinalis ipsa plane erat integra. Ovarium dextrum cystam magnetudine avellanae et substantia subrubra lentaque impletam continebat. In fimbriis dextrae tubae Fallopianae concrementa ossea semipellucida erant forma irregulari non dissimilia magnis granis arenae.

Insignis sectionis relatio nobis a Froriepio tradita est.

Augustus S puer decem annos natus, brevibus spatiis interiectis per annum chorea laboraverat; morbus erat vehementissimus; puer apoplexia sanguinea e vita sublatus erat. In cadaveris obductione et magnae venae in superficie cerebri et vasa sanguinifera substantiae cerebralis sanguine valde impleta reperiebantur. Cerebrum, cerebellum, pons Varoli nihil abnorme ostendebant. In inferiore et anteriore superficie medullae oblongatae impressio glabra quasi cum digitio minimo facta reperiebatur. Tegumenta huius partis erant illucida et ad latus crassata. Respondens huic impressioni foramen magnum valde erat mutatum, cum non regularem formam oblongam sed quasi fabae formam cum hilo ad anterius latus directo haberet. Cum accuratius inquireretur, hanc formae mutationem unum effectam esse tumefacto processu odontoideo epistrophei reperiebatur. Hic processus perfectam magnitudinem et crassitudinem, quam in viro habet, habebat, ceterum, praeter valde copiosam substantiam spongiosam nullam aliam morbidam mutationem ostendebat. Ossa ossis occipitis, atlantis, deinde corpus et arcus epistrophei, quantum cognosci potuit, plane integra erant.

Romberg tres casus choreae minoris exhibet, ubi post mortem aegrotorum cadaveris obductionem facere ei licuit.

I.

Mulier septuaginta sex annos nata, nunquam viro nupta, per sex annos chorea St. Viti laboraverat. Animi facultates usque ad extremum vitae annum integrae remanserant, quo anno dementia senilis eam arripuerat. Post mortem haec reperiebantur: cerebrum in statu atrophico erat, gyri tenues, longum inter se spatium relinquentes. In sulcis et inter membranas superficiales magna copia lymphae erat. Utrumque crus pontis ad cerebrum ita erat emollitum, ut inter removendum cerebrum e cavo cranii laesio cerebri in his locis prohiberi non potuisset. Color pedunculorum cerebri erat subfuscus quare substantiae nigrae et albae nulla differentia existebat. Medulla spinalis quam longe fieri poterat, e canali vertebrali non aperto rescindebatur; consistentia et

structura eius integra reperiebatur. Modo parva liquoris copia e canali vertebrali effluxit.

II.

Puer decem annorum, apud quem symptomata choreae St. Viti vehementiora fuerunt, quam Romberg unquam antea observabat. Postquam chorea per triginta dies duravit, cerebri inflammatione aegrotus e vita sublatus erat. Encephalum permagnum volumen habebat. Vasa sanguinifera cerebri magnopere sanguine impleta erant. Arachnoidea erat turbulenta et tecta magna copia substantiae fibrinosae secundum marginem interiorem hemispherae. Laesione casu oblatu magna copia clari liquoris profluxerat. Partes centralos encephali fornix, septum pellucidum et substantia, quae circum ventriculos laterales est, magnopere erant emollita. Etiam corpora quadrigemina ita erant emollita, ut tacta concíderent. Consistentia reliqui encephali erat normalis. Medulla oblongata et medulla spinalis, quantum examinari poterant, nullam abnormitatem ostendebant.

III.

Tertius casus de puella novem annorum refertur, quae per aliquot menses vehementissime chorea aegrotaverat, quaeque inflammatione peritonaei acuta exstincta erat. In cadaveris obductione encephalum sanum reperiebatur. Medulla spinalis in regione cervicali et dorsali paululum emollita at in regione lumbari firmâ consistentiâ. In cavo peritonaei magna copia turbulenti, subfusci liquoris erat. Peritonaeum ubi pelvem vestit, maxime erat inflammatum, et in pelvi inter vesicam, uterum, intestinum rectum magna copia puris subfusci erat. In intestino tenui prope intestinum coecum expletiones vasorum capillarium circumscriptae et cicatrices pristinorum ulcerum sese reperiebant. Intestinum coecum et pars intestini coli accendentis vehementi inflammatione erant affecta; membrana mucosa erat turgida et pluribus locis erosa.

Facile intelligi potest ex eo, quod in cadaveribus eorum, qui chorea St. Viti laborantes mortui sunt, repertum

est, quodque tam inter se contrarium et diversissimum est, concludi non posse, quae sit natura et sedes morbi nostri. Vel in casu a Froriepio relato non pro certo sumi posse censco, quamquam est Verisimile, causam choreae St. Viti morbidam mutationem tumefacti processus odontoidei epistrophei fuisse, cum Froriep ipse dicat morbum cum remissione et interdum cum intermissione symptomatum exstitisse, dum influentia tumefacti processus odentoidei sine cessione permanebat. At etsi credere vis in hoc casu tumefactum processum epistrophei unam fuisse causam morbi, tamen in ceteris casibus aliae morbi causae non excludi possunt, cum in aliis casibus choreae St. Viti post mortem eadem causa non sit reperta neque in eis casibus choreae St. Viti, qui plane sanati sunt, sit accipienda. Qua ex causa Rufzio assentior, qui partim ex suis partim ex aliorum observationibus refert, exempla affectionis organicae [1]) esse rara, deinde repertas texturarum commutationes pathologicas fuisse diversissimas et plerumque potius commemoratas quam copiose descriptas tum in observationibus a se collectis tantum res negativas esse repertas, id est se nunquam in ullius texturae commutationem incidisse, quae morbi propria duci posset, denique propter typum intermittentem iam a priori verisimile esse, ut morbus non dependeat a permanente affectione; congestiones esse eas affectiones anatomicas quae hanc notam praestent. Item clarissimus Naumann negare videtur, permanentem commutationem organicam aut ullum neoplasma texturae in hoc morbo adesse, quod ex eo intelligi potest, quod in libro suo "Pathogenie." Berlin 1840. p. 28 et 609 dicit.

De Therapia Choreae St. Viti.

Quamquam morbus noster, ut satis frequenter observatum est, sua sponte sanari potest, tamen haud idoneum esse videtur, chorea affectos omnino sine remediis relinquere. Etenim in plerisque casibus morbus non sua sponte sanatur

1) sc. In chor. min.

neque praevideri potest, num natura sanationem perficiat; chorea autem sine cura relicta ad gradum magnum pervenire immo exitum letalem habere potest.[1])

Quod ad remedia spectat, Seeum sequor, qui omnia remedia in Choream St. Viti adhibita dividit in duas classes:

I. *Remedia externa*:

a. Artes gymnasticae, b. Balnea, c Electricitas, d. remedia exutoria et derivateria.

II. *Remedia interna*:

a Antiphlogistica. b. Evacuantia. c. Tonica. d. Narcotica e Excitantia. f. Remedia stimulantia, antispasmodica, alterantia.

Addo his remediis, remedium novum, quod simul remedium internum et externum adhibitur ut.

III. *Chloroformium*:

Quod ad artes gymnasticas in Chorea St. Viti curanda attinet optimum eventum habuerunt. Iam celeberrimus Louvet-Lamarre, qui primus ea adhibuit, puellam, apud quam chorea iam tertium sive quartum recidivum fecerat, exercitiis gymnasticis intra viginti dies ad perfectam sanationem adduxit. In hôpital des enfants ex viginti duobus infantibus decem octo eodem modo sanabantur; mediumque tempus ad perfectam sanationem viginti novem dies durabat, iam quinto sive sexto die symptomatum remissio haud parva apparebat. Negari non potest hoc esse optimum eventum. Sed qui semel cognovit, quo modo hanc exercitia gymnastica exigantur, facile intelligit, quae operosa et molesta curandi ratio sit; atque eam non in omnibus casibus exigendam esse. Ita ut exemplum afferam, in infantibus alio morbo affectis, deinde in pueris puellisve morosis et obstinatis. Postremo non omittendum est, artes gymnasticas interdum sanationem non effecisse, sed omnino defecisse.

Aliud excellentissimum et celeberrimum remedium in choream sunt balnea, prae ceteris balnea sulfurica summum

1) cf. See Memoir. de l'acad. roy. de Med. Tom. XV. pag. 400.

nomen assecuta sunt. Primum a celeberrimo Baudelocquio adhibita sunt et optimum eventum habebant. Baudelocque, Rufz, Constantin, nobis communicaverunt ex casibus sexaginta quinque choreae minoris, quinquaginta octo celeriter sanatos esse. Medium curae tempus dies viginti duo durare perhibetur; ex quo cognoscitur, balnea sulfurica perbonum remedium in chorea minori esse, accedit ad hoc, ut haec ratio curandi facilius sit adhibenda, quam artes gymnasticae. Sed non in omnibus casibus balnea sulfurica adhiberi possunt. Secundum Seeum aut plane sunt reiicienda aut tempus ea applicandi est proferendum in his casibus:

1. Ubi hyperaesthesia quaedam corporis tegumenti adest et iterum atque iterum, quod dicimus „Badeausschlag" apparet.

2. Si partes corporis epidermide orbatae existunt; qua de re See dicit: „L'eau mineral irritant sans cesse les surfaces mises à decouvert, il en resulte qu'elle perd completement son action salutaire et tonique. Chez un enfant qui portait un exutoire à la nuque, chaque bain minéral étant devenu l'occassion de nouveaux accidents, on imagine de supprimer la plaie: douze jours après le malade était guéri."

3, Ubi febris sive alicuius corporis humani partis inflammatio existit.

4. Quartam contraindicationem See hanc ponit; „L'irritation aiguë des membranes sereuses internes, circonstance rare dont il faut tenir un compte sérieux, car elle contreindique formellement l'usage de ce moyen." Quum temptaretur, huic rationi curandae choreae St. Viti aliis remediis, ut remediis purgantibus, derivantibus, nervinis sive tonicis sucurrere, observatum est, hoc non modo non curam accellerare, sed potius retardare. Item irregularis balneorum sulfuricorum usus sanationem perturbat.

Stiebel, Dupuytren et alii balnea frigida in fluvio sive in mari, perfusiones et lavationes frigidas aegrotorum recommendant.

Dupuytren dicit, sibi non unum exemplum existere choreae St. Viti, quod balneis X—XV R. adhibitis non

cessisse. In „Hôpital des enafnts“ balnea XVIII—XX°R. adhibita sunt et See dicit, e 6 infantibus 5 sanatos esse, sed curam in nonnullis casibus usque ad quadragesimum septimum diem perduravisse.*)

Quamquam etiam hic eventus prosperrimus nominari debet, tamen balnea frigida non bene a medicis recepta sunt. A medico enim privato rarissimo hoc remedium adhiberi potest. Praesertim pueri et puellae parvae aetatis magnopere ea horrent et si praecipue hieme non summa cura aegroti a noxia frigoris affectione defenduntur, facile in alium morbum praesertim in rheumatismum incidunt. His causis permotus Dupuytren ipse primus hoc suum remedium valde ab ipso laudatum in „hôpital des enfants“ removit, in eius locum balnea sulfurica calida substituens.

De electricitate pauca dicam. Primum a Dehaenio in choream St. Viti commendata est, suntque casus perfectae sanationis a nonnullis medicis observati. Tamen haec ratio sanandae choreae non bene a medicis recepta est, cum tempus ad perfectam sanationem saepenumero usque ad quinquagesimum octavum diem duraret. Qua ex causa See in his casibus de sanatione per naturam cogitandum esse putat. Addison, Bird, Hughes Gull (Guy's hospital reports), electricitatem ad curandam choream St. Viti commendant. Gull e viginti tribus aegrotis undeviginti sanavit; de reliquis quatuor aegrotis in tribus remissio symptomatum effecta est, unus insanatus remansit. Medium tempus huius therapiae comperire non potui: Abstineo iudicare de electricitate in curanda chorea minore, cum experimenta ad iudicium sufficientia adhuc deficiant.

Postremo e remediis externis nominanda sunt unguenta, linimenta, vesicantia, setaceum, venaesectiones. Inter unguenta praesertim unguentum veratrii et unguentum tartari stibiati adhibebantur. Praeter id, quod haec therapia partim est dolorosa partim aegrotos valde debilitat, eventum haud prosperum habebat, qua de causa plane est reiicienda.

*) Memoir. de l'acad. royal. de médec. 1. B. pag. 488.

Quod attinet ad remedia interna Sydenham remedia purgantia vehementia adhibebat eaque cum venaesectionibus iungebat. Recte ac merito Sauvages hanc therapiam valde vituperat his verbis: „curatio Sydenhamiana, quoad phlebo„tomias et cartharses nimium repetitas minime conducit, sal„tem in pueris et puellis a me observatis qui ab his fuissent exhausti.“

Quam inutiiia et noxia saepe remedia purgantia, anthelmintbica et praesertim emetica sint, ex eo intelligi potest, quod See dicit l. c. pag. 395.

Efficacioria remedia, quam quae modo commemoravi, sese praebent tonica. Notum enim est, debiles homines facilius chorea corripi quam firmi, qua ex re eorum utilitas apparet.

Richardus Mead, qui choream paralyticam affectionem esse ducebat, remediis ferruginesis utebatur. Cullen et Fischer haec maxime efficacia esse praedicant, Commendatum ab Elliotsonio ferrum carbonicum nobilitatum est et praesertim in Brittania saepenumero adhibetur.

Hughes prosperum eventum vidit in adhibendo Zinco sulfurico. Bright eodem remedio ex sexaginta tribus aegrotis quadraginta quinque sanavit.

Quamquam Trousseau, Louis, Bonneau aliquando prosderum eventum ex opii usu videbant, tamen experientia multorum aliorum auctorum narcoticis remedicis repugnat· See narrat apud puellam Brittanicam, postquam magnas doses opii accipuerit, morbum multo vehementiorem esse factum. Item observationes medicorum ceteris remediis narcoticis in sananda chorea repugnant.

In nno casu, quem infra describam, post belladonnam adhibitam morbum multo graviorem factum esse ipsi vidi. See digitalem sine eventum adhibere vidit; bien qu'il, inquit, s'agît d'une chorée rhumatismale avec troubles cardiques·

Strychnium commendant Rougier Fouilhoux et inprimis Trousseau, sed tamen hoc remedium in Germania a medicis non bene receptum est et See omnino id reiicit et eiusque usum vituperat.

Transeo remedia cuprum continentia, quae a medicis non bene sunt recepta et nunc paene nunquam adhibentur.

See de argento nitrico recte dixisse videtur, remedium esse nimis vehemens atque parum efficax in sananda chorea. De arsenico infra dicam.

Quamquam compositiones iodi cum aliis substantiis, praesertim kalium jodatum, in nonnullis casibus praesertim in aegrotis scrophulosi affectis maxime probata reperiebantur, tamen desunt satis multi casus, ex quibus accurate de eorum effectu iudicari possit.

Quod ad remedia nervina et antispasmodica attinet, omittam eorum enumerationem, a nonnullis auctoribus commendantur, a plerisque etiam reiiciuntur. — Zincum oxydatum, quod Gaubius primus commendavit, reiiciunt Fouquet, Stoll, Baumes. Gendron animadvertit, hoc remedio adhibito agitationes musculorum etiam auctas esse. Ipse in casu, quem postea describam, post zincum oxydatum album choreae symptomatum auctionem observavi.

Utilitatem camphorae, moschi, castorei, aliorum remediorum antispasticorum Bouteille, Stoll, Crawford, Bardsley negant. Alia remedia, ut artemisiam, millefolium, sanicu lam marylandicam etc. transeo, cum nunquam magnum nomen assecuta sint.

At chloroformium secundum observationes auctorum spectatissimorum perbonum choreae minoris remedium esse videtur. Grossmann*) pertinax exemplum choreae St. Viti eo remedio omnino sanavit. Chloroformio ita utebatur, ut terties quotidie inhalationes, non usque ad completam narcosin aegroti continuatas, instituerent. Medici Brittanici (Lowes, Barclay in Med. Times et Gaz. May 1853. pag. 517. 548, Banks Dublin quaterly Journal, August 1852) praeter inhalationes frictiones simul in dorso et in epigastrio praeceperunt et intra septem et quatordecim dies sanationem effecerunt.

Postremo ad remedium, quod primum a Thomas Martinio est commendatum, ad arsenicum transeo.

*) Deutsche Klinik 1851. Nro. 32.

Puellae quindecim annorum, quae chorea laborabat, terties quotidie quinque guttae solutionis arsenicalis Fowleri dabantur et intra unum mensem et dimidium sanatio erat perfecta.

Clarissimus Romberg de liquore Fowleri dicit, eum inter remedia, quae in chorea minore confidentiâ nostrâ digna essent, secundum longas observationes suas principem tenere locum. Deinde auctor nonnullos casus choreae St. Viti inveteratae affert, quos liquori Fowleri cessisse ait. Alia exempla sanationis choreae per liquorem Fowleri huiusque remedii laudationes in libris Rombergii (klinische Ergebnisse und Wahrnehmungen gesammelt von Doctor Henoch) sub titulo choreae St. Viti reperiuntur. Sed ut cetera remedia sic liquor Fowleri secundum observationes Rombergii in omnibus casibus sanationem choreae minoris efficere non potest neque recidiva prohibere potest, sed idem auctor dicit, hoc remedio citius recidivum quam primam affectionem sanari.

See arsenicum in therapia choreae St. V. omnino reiicit, dicens hoc esse remedium inutile et noxium. Quod attinet ad inutilitatem liquoris Fowleri observationes Rombergii saepe repetitae repugnant Seei sententiae; atque etiam in clinico Bonnensi remedium efficax et utile sese praestitit. Quod spectat ad incommoda, idem Romberg dicit, se iusta cura adhibita nunquam perniciosum effectum arsenici in infantibus animadvertisse, se non magis quam tres vel quatuor guttas ter quotidie praescribere easque attenuare praeterea triplici copia aquae destillatae. Etiam in tribus casibus, quos observavi et in quibus remedium in forma a Rombergio praescripta dabatur, nulla incommoda animadverti potuerunt, sed contra cibi appetentia aucta est; faciei pallor evanuit. Praeterea penes medicum est, si symptomata intoxicationis apparent, remedium removere. Iam transeo ad relationem trium casuum, quos modo commemoravi.

I.

Helena S quatuordecim annos nata. Parentes puellae eorumque alii liberi optima utuntur valetudine, proprii morbi in familia non sunt hereditarii Aegrota media est statura

haud firma corporis structura, facie subpallida. Menses apud eam nondum apparuerant. Duobus annis ante morbus acutus, quem typhum esse medici dixerant, puellam invaserat, e quo brevi post recreabatur et eadem, qua antea, utebatur firma valetudine. Morbus, quo nunc affecte est, decem iam menses durat. Musculi faciei atque superiorum inferiorumque partium extremarum ultro satis vehementer et raptim agitant, sed musculi inferiorum partium minus vehementer, quam superiorum. Parvae aegrotae cibum ab aliis hominibus in os inseri necesse erat. Spasmi musculorum sunt multo invalidiores in laevo latere, quam in dextero. Virgunculam paululum emacuisse parentes dicunt. Thoracis et alvi organa sunt integra. Animi facultates eodem modo non debilitatas esse mater puellae dicit. Item sensibilitas in ulla corporis parte neque minuta neque aucta est. Nulla morbi causa reperiri poterat.

Therapia, quae ad curandum puellae morbum adhibebatur, haec erat: primum puella saepe per aërem deambulare iussa est sed ita, ut a frigoris iniuria defenderetur, deinde certus vivendi modus ac lex ei praescriptum est. Defaecatio quotidiana, si oportebat, clysmatibus adducebatur. Praeter haec liquor Fowleri praescriptus est in forma a Rombergio praescripta. Eventus fuit optimus. Postquam aegrota per quatuordecim dies hac curatione nullo spatio interiecto, usa est, iam remissio symptomatum observabatur. Cum autem puella remedium non modo sine incommodo tolleraret, sed etiam validior fieri videretur, solut. Fowleri per sex hebdomates sine ulla intermissione continuebatur, quo tempore sanatio erat plane perfecta.

II.

Maria B. quatuordecim annos nata, magna et valida corporis statura, sed pallida facie. Menses apud eam nondum apparuerunt. Morbus, quo aegrota laborat, iam diu sed non ita vehemens exstitisse dicitur. Praesens autem vehementissimus morbi status ab hinc viginti et unum diem durat. Musculi faciei, oculorum, superiorum inferiorumque corporis partium extremarum satis vehementer raptimque iactantur;

lingua valde impedita est. Musculorum iactationes in sinistro latere vehementiores sunt, quam in dextero. Aegrota ipsa cibum sumere non potest sine auxilio. Noctu autem haec omnia intermittuntur. Pectus et abdominem nullum vitium praebent. Cibi appetitus bonus, alvi deiectiones quotidie adsunt. Animi mentisque facultates puellae non sunt turbatae, puella valde irritabilem sese praebet. Primum zincum oxydatum album dabatur. Postquam aegrota per novem dies hoc remedio usa est, morbus multo in deterius erat versus, qua ex causa loco zinci oxydati albi belladonna praecepta est. Cum etiam hoc remedium, postquam totidem dies adhibitum est, nihil profuisset quin etiam morbi symptomata aucta essent ad liqu. Fowleri transitum est. Iam post quatuordecim dies perspicua remissio iactationum observabatur et postquam idem remedium per quatuordecim dies amplius datum est, puellae sanatio erat perfecta.

III.

E. F. quatuordecim annos nata. Aegrota est satis magna statura; facici color floridus. Menses nondum apparuerunt. Aegrota non reminiscitur, se antea unquam morbo affectam esse. Morbus, qui nunc eam incessit, viginti fere tenet atque paulatim sese evolvit laevo latere incipiens. Causa autem morbi vehemens terror fuisse dicitur. Morbus vehementissimus dici potest et musculorum agitationes ne noctu quidem remittunt ita, ut aegrota saepe noctu pluries lectu eiiciatur. Perspicuissime atque vehementissime morbus in facici oculorumque musculis est expressa. Aegrota perpetuo faciem vehementissime distorquet oculosque pervertit, ut risum eorum, qui adsunt, concitet. Etiam dicendi facultas valde deturbata est.

Minus vehementes, quam in faciei musculis agitationes musculorum in extremitatibus apparent, quamquam in superioribus extremitatibus sunt satis vehementes.

Aegrotae continuo liquor Fowleri praescriptum est. Spatio octo dierum interiecto remissio symptomatum morbi

perspicue observabatur; imprimis facies puellae multo tranquillior facta erat noctesque magis quietae erant. Cibi appetentia aucta est. Sequentibus octo diebus eodem modo intelligi potuit, conditionem aegrotae meliorem factam esse. Ex hoc tempore sanatio lentius progrediebatur. Quum puella viginti sex dies in clinico Bonnensi versata esset et multo melior quin etiam paene sanata videretur a patre domum revocata est.

Ut iam intelligere licet, liquor Fowleri in his tribus casibus remedium praestans certumque sese praestitit. Symptomata intoxicationis non sunt visa, neque alia incommoda observabantur. Tempus curae certe prae exercitiis gymnicis, prae balneis sulfuricis, etiam prae electricitate satis longum est, sed tamen considerandum est, primum casum iam per decem menses duravisse, omnes autem vehementissimos fuisse.

Inter remedia igitur, quae contra choream minorem adhibita sunt, exercitia gymnastica et balnea sulfurica principem locum obtinere censeo, eaque ubi adhiberi possunt, maxime commendo. His remediis proximum chloroformium exhibeo, quod medicorum anglicorum more adhibendum est.

In iis autem casibus, ubi remedia modo enumerata inefficacia sese praestiterunt, aut ubi ex quibusdam causis adhiberi non possunt, liquorem Fowleri remedium perbonum, ne dicam optimum esse arbitror, etiam in casibus recentibus. Una fortasse exceptio hic exsistit, nempe ubi chorea minor infantes primos vitae annos agentes corripuit.

Alexander Burger de vita sua.

Natus sum Goariae a. h. s. XXXVIII die tertio m. Octobris patre Christano Guilelmo Henrico, matre Margareta Francisca, e gente Schloesser. Patrem praematura morte mihi abreptum maxime lugeo matrem superstitem summa pietate veneror. Fide educatus sum catholica. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Bonnense per sex annos frequentavi. Tectimonio maturitatis munitus ad hanc almam litterarum universitatem me contuli atque Rectore Magnifico, clarissimo O. Jahn in numerum civium accademicorum receptus sum.

Per semestria dua philologiae et historiae vacui et audivi viros illustrissimos celeberrimos: O. Jahn, Heimsoeth, Loebell, Ritschl, Schmidt, Schopen, Welker. Deinde decano clarissimo Naumann in album gratiosae facultatis medicinae inscriptus docentes audivi viros illustrissimos, celeberrimos: Albers, G. Bischof, Busch, v. Calker, Deiters, Kilian, Knoodt, Naumann, Nöggerath, Pflueger, Pluecker, Saemisch. Schaaffhausen, M. Schulze, Treviranum, Troschel, de la Valette, M. J. Weber, C. O. Weber, Wutzer.

Quibus viris omnibus optime de me meritis, gratias habeo quam maximas semperque habebo. Praeterea facere non possum, quin gratias quas possum maximas agam viro spectatissimo, professori illustrissimo, E. M. Naumann, qui initio semestris praeteriti assistentis munus benigne in me contulit, ob summam erga me humanitatem et benevolentiam.

THESES.

1. Ulcera ventriculi carcinomate ventriculi nisi tumore in regione epigastrica observato, non sunt distinguenda.
2. Amputatio femoris resectioni genu est praeferenda.
3. In necrosi sequestrem, priusquam demarcatio perfecta sit, non esse removendum.
4. In flectione cruris, ex inflammatione exorta, discisio tendinum flexorum cruris nihil valet.
5. Ad partum praematurum provocandum velamentorum ovi punctio methodus est optima.